

Poëtas in hoc imitatus, qui cum fingendi licentiam affectent, exerceantque, quàm qui maximè, ipsam sine figmentis & pigmentis veritatem eloqui videri volunt, historiam autem atque experientiam, testes omni exceptione majores, in dubium vocare non erubescunt. Imò ausim de eo, suffragante ipsâ veritate, dicere, quod *Sfortia Pallavicinus*, (p) inter tui similes, *BOSSVETE Illustrissime*, Proceres Ecclesiæ Romanæ, ipsosque Patres purpuratos Eminentissimus de Petro Svavi tradit: *Præter hæc*, inquiens, *geminâ usus est arte, adbibita ab ingeniosissimis inter mendaces, nempe à Poëtis. Sita est altera in ostentanda certa animi firmitate circa id, quod affirmatur; dicti siquidem constantia nasci solet à facti stabilitate, idcirco alienæ fidei facilè fit Dominus, quicumque est frontis suæ. Altera est, res particulatim describere, cum iis adjunctis, quibuscum evenire solent, quod quandam veri speciem ipsis præterdit, quamvis re ipsa similes vero non sint.* Utrumque, cum seorsim jam hoc, jam illud, faciat sæpissime, præstat simul ingenti *πληροφορία*, ubi suo non minus quam tuo, *BOSSVETE*, nomine ante victoriam (hanc enim consequi tum adhuc studebat) triumphum canit. *Hæc verba*, inquiens, (q) *BOSSVETI vera esse agnovère tot Illustres Viri, qui huic opusculo censuram dedere, & ipse demum S. Pontifex, qui huic libello approbationem dedit, & ipsimet Domini Protestantes, qui per-*

---

*& probationibus, quæ ad abundantiam usque promisit, inutilia verba Lectori obtrudit. Propè finem Operis, cap. 24. p. 265. Alberti inanitate verborum suisq; topicis ac strophis sophismatum depugnans verba facit, prætereaq; nihil, nunc thraſonicè jaçtat, &c.*

(p) *In Appamtu ad histor. Concil. Trident. cap. 5. p. 6. n. 3.*

(q) *Cap. 5. pag. 70.*